

flavae subtus purpurascens. Pappus flavescens rigidulus breviter plumosus.

9. *Apargia hyoseroides* mihi.

*Hyoseris taraxacoides* Wulfen.

In Belgia legit Wulfen.

Scapo unifloro filiformi glabro, calyce octophyllo basi aucto glabriusculo foliis runcinatis hirtis, pilis simplicibus furcatisque, seminibus omnibus pappo sessili plumoso coronatis.

Fors Thrinaciae hirtae var. Semina substriata sine attenuato tuberculato - denticulata. Thalamus nudus.

10. *Crepis integrifolia* mihi.

Floruit in nostro horto. Nescio unde.

Caule ramoso sulcato folioso corymboso, ramis supra flores centrales praecoces elatis, foliis integris et integerrimis glabris lanceolatis sessilibus, calycibus pubescentibus: phyllis accessoriis filiformibus, pappo sessili.

Rami foliosi supra flores caulis elati corymbosi. Foliis linearibus. Corolla fere ut in *Hieracio Auricula* sed non hispidus. Folia inferiora lanceolata, superiora angustiora semi-amplexicaulia nec sagittata nec dentata. Pedunculis sulcati villosi non squamulosi.

11. *Coreopsis fruticosa* mihi.

Planta in nostrum hortum nomine *Ivae frutescentis* inducta, ni fallor e Vienna allata. Patria ignota.